Nihil enim facilius est, quam vt auctores, causam propriam perorantes, sibimet ipsis imponant, aliisque pro certo vendant, quod tamen multis adhuc dubiis vexatur. Quod ne nobis ipsis, verum GVSTAVI ADOLPHI gladium paratui nostro vindicaturis, contingat, permittimus nos arbitrio lectoris, eiusque iudicio causam nostram subiicimus.

§. IX.

Excitamus igitur primo IOANNEM NICOLAVM PECHLINVM, Ducis Cimbriae olim Consiliarium et archiatrum, qui aliquamdiu sub larua IANI PHILADELPHI latere voluit. Hic in *consultatione sua de optima Christianorum secta* p. m. 48. fide sua contestatur, se gladium, quo GVSTAVVS ADOLPHVS in proelio Luzenensi vsus est, multoties oculis suis vsurpasse manibusque palpasse. En ipsa eius verba:

Insultant Pontificii gladio GVSTAVI ADOLPHI *Regis, fortunamque omnem, quae viuum comitata est, figuris imputant Talismannicis, pertracto quoque in eam sententiam Gaffarello Gallo, rerum alias abstrusarum atque inauditarum vindice: sed Morinus et ipse Gallus, fictam esse a maleuolis inscriptionem in magno illo*

Astro-

Astrologiae Gallicae opere demonstrauit. Certe enim, quod his ipsis oculis vidi, *nihil aliud caelatum vna parte gladii legi, quam* constantes fortuna iuuat; *et altera,* nec temere nec timide; *moderata sane et quam pia symbola*!

Habes hic testem ocularem, virumque in dignitate constitutum, cui tanquam archiatro facillimus ac familiaris quotidie ad regem aditus patuit, id quod ei tantam fidem conciliat, vt in eum nulla omnino, multo minus iusta mendacii suspicio cadat.

§. X.

Fidem quidem eius subleſtam reddere conatur Reuerendiſſ. Dominus WALLINVS p. 51. diſſertationum ſuarum edit. Lipſienſis, dum eum ſine iuſta ratione ad teſtimonium MORINI, ab ipſo forte aut nunquam lecti aut inique pro rege GVSTAVO ADOLPHO excitati, prouocaſſe contendit. Sed vbi dixit PECHLINVS, MORINVM cauſam regis peroraſſe? vbi igitur ouem, vti Dominus WALLINVS eum inſimulat, tradidit lupo defendendam. Hoc tantum commemorat, MORINVM in opere ſuo demonſtraſſe, characteres magicos in gladio, regi GVSTAVO ADOLPHO attributo, conſpicuos, a maleuolis confictos, omnique fundamento aſtrologico deſtitutos eſſe. In hoc autem vera ſcripſit PECHLINVS; repetita enim vice teſtatur MORINVS, de gladio dicto verba faciens, ſe magicas artes deteſtari, atque auctorem ſiue aſtrologum ſiue magum, qui notas characteriſticas in gladio dicto ſparſas confinxit, pro nebu-

lone habere. Quod vero addit, GVSTAVVM Regem a tali impostore sibi imponi passum, gladioque emto deceptum esse, id sese refert ad narrationem virorum nobilium, qui hunc gladium, dum MORINO praesentem exhiberent, pro vero a rege in proelio Luzenensi vsurpato venditabant, quos mendacii in faciem incusare MORINVS modeste satis haesitauit, rectius, suspecta huius relationis fide dissimulata, characterum vim destruere earumque imposturam demonstrare conatus.

§. XI.

Salua itaque ac integra stat fides PECHLINI de gladio GVSTAVI Regis, qui in eius vno latere symbolum: CONSTANTES FORTVNA IVVAT, in altero vero NEC TEMERE NEC TIMIDE etc. se legisse suisque oculis animaduertisse contendens, omnes illos refellit, qui gladium, Holmiae in armamentario regio asseruatum, ac WALLINO teste, omnibus notis, characteribus atque inscriptionibus destitutum, pro illo venditant, quem piissimus rex in proelio Luzenensi distrinxit. Contra vero haec ipsa prouerbia cum in gladio a nobis possesso legantur, nihil iniqui nos commisisse arbitramur, si nostrum pro vero GVSTAVI Magni ense tam diu habeamus, donec huic sequentibusque argumentis satisfactum sit.

§. XII.

Propius igitur nos ad rem accingimus, id tantum adhuc praemonituri, in eo optimos auctores conuenire, quod

quod GVSTAVVS Rex in proelio Luzenensi caesus, legione, quam in hostem eduxerat, dispersa atque fugata, a militibus Caesareanis spoliatus armisque exutus sit. Prouocamus ad scriptores fide dignissimos, qui aut ipsi proelio Luzenensi testes oculares interfuerunt, aut sua ex relationibus probatissimis hauserunt, quales sunt IO. BAPT. BVRGVS, qui pro Caesare militans in proelio Luzenensi contra Suecos pugnauit, *de Bello Suec. Lib. III. p. 262. edit. Leod. in 4to.* IO. PETR. LOTICHIVS *rer gestar. L. III. c. 6. p. 119.* PIASECIVS in *Chron. p. 436.* FERD. FVRSTENBERGIVS in *Monum. Paderb.* CHEMNIZIVS, GVALDVS, NANVS, SIRI, PRADIVS, VASSORIVS, ZEILLERVS, LVDOLFVS, aliique haud minoris fidei auctores.

§. XIII

Fac, praecipuorum testimonia huc transscribamus, quo ex ipsis verbis lector hac de re iudicare possit. BVRGVS *l. c.* ita tradit:

Cum in quandam nostrorum equitum legionem, redeuntem ad proelium, incideret, dilapsis aulicis, trucidatus ab ignaris, quem occiderent, militibus, atque spoliatus *est.*

IDEM *pag. 268.*

Caeterum occisi regis gloria ad quem spectet, incompertum est. Hostes quidem Holcae aut Ghettii legionibus tribuunt, et Holcae tubicen eius calcar ostendit. At Piccolomi-

colomineus thoracem habet ex alcis corio, qui is fertur, quem rex eo die geſtauerat, et Piccolominei commilito, Buccella, dum in Campum excurreret, occiſum regem cognouiſſe dicitur, cuius alias fuerat captiuus, ac Piccolomineo oſtendiſſe, qui fidem aſſerenti non habuit: neque de regis veſtibus aliud exſtat, et Cyanos, quam aurea catenula appenſam collo geſtabat, ſingularis magnitudinis gemma atque antiquum Sueciae regum decus, nusquam inuenta eſt, quamuis rex omnino ſpoliatus *in Campo deinceps repertus ſit.*

IO. PETR. LOTICHIVS *Rer. geſt. L. III. c. 6. p. 119.*

Dum incautius progrederetur, in turbam Croatarum incidit, et cum ſe dedere nollet, ab ignaris multis vulneribus interfectus, ſpoliatusque *eſt.*

FERD. FVRSTENBERG. Epiſcop. Paderb.

Mauritius Falckenberg captus a Suecis et paucis diebus ante dimiſſus, quam ad Luzam fuit dimicatum, eidem proelio interfuit, regemque Sueciae, quem paulo ante captiuus et propter merita Theodori Falckenbergii (Sueciae regis aulae Mareſchalli) familiariter habitus, optime de facie norat, plumbea glande ſauciatum equo primus deiecit, pariterque hoſtili telo transfixus concidit proxime regem: cui huno proſtrato fatali ictu ſuperueniens Georgii ab Oynhauſen, Guecianae legionis equitum magiſtri, legatus Iohannes Schneberg ex Bockendorp, Dioeceſis Paderbornenſis vico oriundus, ilia enſe confodit, peremit ſpoliauitque *examinem.*

PIASECIVS in *Chron. p. 436.*

Inter cadauera caesorum non agnitum, cum lixae spoliassent, *ac diuersi diuersa ex eius* armis *ac* vestitu *circumferrent, hora antemeridiana increbuit rumor de morte eius.*

Ipse PVFENDORFFIVS, rerum Suecicarum optimis subsidiis instructus scriptor, *Lib. IV. §. 63.* ex ore testium ocularium refert, Regem semimortuum a milite Caesareano gladio transfossum ac ad indusium vsque exutum esse, qui tamen commemoratos testes edito protocollo funerali facile mendacii conuincere potuisset, si vera essent, quae relationes supra allegatae de armis regiis in Sueciam reportatis ac in pompa funebri productis commemorant.

§. XIV.

Quae cum ita sint, nescio quomodo fides eorum ab insimulatione figmenti liberari possit, qui arma et vestes regis, gladium puta, balistas, thoracem, calcar, ephippium, cum exuuiis eius Holmiam transuecta contendunt, nisi dicere velis, in solenniis funeralibus tantorum heroum moris esse, vt armis, quae, ipsis demortuis ad pompam ornandam, forma longe augustiore ac quotidie iis vsi sunt, in locum siue deperditorum, siue familiari vsu splendore suo priuatorum substituuntur, nomen heroum imponatur, siquidem illud de thorace inaurato, quo Hornius Comes in pompa exequiarum solenni equum funebrem agitans indutus incedebat, quemque relationes, a WALLINO allegatae, Regi adscribunt,

bunt, certum est atque indubitatum. Quis enim crederet, Regem tam sagacem in proelio thorace tali vsum, quo a reliquis omnibus tam facile distingui potuerit? Quis illud cum narrationibus scriptorum conciliare potest, qui vestimentorum tantum mentionem faciunt, regemque caesum iis omnibus ad indusium vsque spoliatum vno quasi ore testantur.

§. XV.

Accedunt rationes tam politicae quam christianae minime contemnendae, quae eos excusant, qui arma et vestimenta regia in Sueciam transportata confinxere. Eo ipso enim gloriam armorum regiorum praeda factorum hostibus siue eripere, siue dubiam facere simul atque pretium redemtionis minuere ac recuperationem facilitare, aut apotheosin, Regi adhuc viuo a suis inuito ac indignabundo tributam auertere, omnemque aliam superstitionem praecauere, denique experimenta sympathetica, quae cum armis et vestimentis cruore regio madentibus facile institui potuissent, amoliri, laudabili conatu studuerint. Neque multum a vero forte aberrabis, si quid inuidentiae quoque in eo tribuas, qua Suecici nominis cultores hostilem iactantiam militum gregariorum, de armis ac vestimentis regiis praeda captis ac venum circumlatis insultatorie gloriantium, merito aegre ferebant.

§. XVI.

Hac ratione relationes a Dno. WALLINO excitatae, quae gladium regis Holmiam transportatum inque pompa

pompa funebri productum contendunt, cum narrationibus auctorum optimorum, qui regem in proelio spoliatum atque gladio suo priuatum commemorant, quodammodo conciliari possunt.

§. XVII.

Augent autem haec omnia praesumtionem pro gladio nostro militantem, quem iam propius contemplabimur. Capulum s. ansam habet isti aeuo omnino conformem ceu alia gladiorum Suecicorum exemplaria in armamentario regio Dresdensi ex his temporibus in nostram aetatem seruatorum testantur. Manubrium holoserico nigro cinctum est, quem colorem rex pientissimus imprimis amasse habituque gestasse dicitur. Caeterum ansa argento intruso vndiquaque ornata in contemplatore iam attentionem mouet atque concitat, vt gladium hunc in vsum viri magni paratum facile largiatur.

§. XVIII.

In ipsa lamina, quae δίστομος s. anceps (zweyschneidig) est, partim proxime ad manubrium, partim paulo inferius conspiciuntur literae tum abruptae tum initiales: G. V. S. S. D. G. S. R. Y. W. quas ita legimus: *Gustauus Secundus. Dei gratia Suecorum Rex*, (vt et) *Gothiae* (atque) *VVandaliae etc.*

§. XIX.

Si nomen ADOLPHI desideras ac numerus *secundi* te offendit, sciendum est, Regem hunc multis eruditis solo

solo nomine GVSTAVI venire ac secundum numerari, siquidem GALEACIVS GVALDVS PRIORATVS, hac ratione motus, res gestas huius regis sub titulo *Historiae* GVSTAVI II. Italice descripsit ac in publicum prodire iussit. Ita quoque HVBNERVS in *tabb.* suis *genealogicis* CAROLVM GVSTAVVM, Herois nostri in regno successorem, sepposito nomine *Gustaui* CAROLVM *decimum* numerat. Idem tam olim quam nostra adhuc aetate alii reges consueuerunt, vti de AVGVSTO II. et III. Poloniarum regibus constat, qui in rebus Polonicis solo AVGVSTI nomine, addito numero, in Saxonicis vero FRIDERICI AVGVSTI appellatione notissimi sunt.

§. XX.

Sed quid dicemus de litera Y? certe Ingermannia, a GVSTAVO ADOLPHO paulo ante bellum germanicum Moscowitis erepta, non per Y sed per I vulgariter scribitur, tamque honorabilem locum inter prouincias Suecicas nunquam sortita est, vt regno Vandaliae fuerit praelata. Gothiam autem per Y expressam nullibi legimus, id quod de Wendia quoque dicendum videtur, quae latine Vandalia pronunciatur. At vero ignota tibi forte est, aut ex memoria excidit, fabrorum atque artificum oscitantia, quae tam olim quam nostra adhuc aetate non in gladiis solum verum etiam in sigillis atque monetis publicis vitiis orthographicis et grammaticalibus tam manifeste sese prodit, vt eorum saepe miremur negligentiam, qui his rebus fabricandis directores

prae-

sunt, earumque praescripta ordinant, quibus tamen artifices, sibi saepissime nimium placentes, non tam presso vbiuis pede morem gerunt. Siue igitur opifex huius gladii Gothiam per Y exprimi posse credidit, siue in eo errauit, quod loco G. supernas contractum Y apertum sculpserit, perinde habetur, cum reliquae literae cum titulo regis defuncti vbiuis consentaneae sint.

§. XXI.

Cum litera W. enim non opus habemus, vt ad soloecismos artificum confugiamus, cum scriptores optimae notae non deficiant, qui pro Vandalia Wendiam substituere solent, Audiamus LOCCENIVM, qui in *antiqu. Suec. Gothicis c. 9. p. 59.* ita de Vandalia disserit:

Primo reges huius regni contenti titulo regum Vbsaliae a sede istic regia, deinceps honoratiori regum Sueciae titulo vsi sunt. Cuius initium fecit Olaus rex, vti testatur Heruari historia: Olaus Stkötkonung sunsit primus nomen Sueonum regis. Post eum reliqui successores reges eundem titulum vsurparunt, testibus Olao Petri in praefat. Chron. Suec. et Messen. Spec. Suec. c. 7. sed postquam firma et perpetua Sueciae et Gothiae coniunctio facta est, reges Sueciae et Gothiae titulo coniunctim vsi sunt. Illud ex pluribus veterum documentis euidens est, imprimis ex titulo Codicis LL. Ostro-Gothicarum, vbi leges istae dicuntur a regibus Canuto S. Erici filio et Birgero Iarl constitutae et emendatae, qui reges Sueonum et Gothorum appellantur.

Eundem regis Sueciae et Gothiae titulum praefert nummus argenteus M. Ladislai R. Sueciae, qui regnauit A. C. 1277. et ita reliqui succeſſores ordine Sueciae reges. Tandem illi veteri laudatorum regum titulo acceſſit etiam titulus Vandalorum aut Wendorum, *reſpectu regii cuiusdam (per arma) iuris, quod vicini reges ſeptentrionales in illas Venedorum aut Vendorum terras, quae inter Albim et mare Balthicum ſitae ſunt, vſurpant. Veluti Conring. in L. I. de fin. imp. Germ. c. 16. obſeruat. Porro huc ſpectat, quod idem Loccen. Hiſtor. Suec. L. 2. c. 44. de Heroto rege ſ. Haraldo, qui 834. regnauit, refert: Hunc quidam tradunt etiam Vandalos aut* Wendos *in Pomerania, expugnata eorum principe vrbe Vineta, domuiſſe.*

§. XXII.

Sed pergamus in contemplatione reliquarum huius gladii noſtri partium ac inſcriptionum. In Lipſienſi atque Borilliano, vt et eo, de quo MORINVS verba facit, Reu. Dn. WALLINVS iam deſiderauit, quod fabri nomen in iis non notatum ſit. At vero in noſtro legitur WILHELMVS WIERSBERG, celebris in oppido Solingenſi tunc artifex, de quo plura aliis diſquirenda relinquimus.

§. XXIII.

Additum eſt oppidum SOLINGEN, in ducatu Bergenſi ſitum, ac fabricandis armis ſatis clarum. Ne vero mireris, cur rex Sueciae enſem non ex Suecia ſua, optimis

optimis laminis feraci, sumserit, sed ex Solinga arcesserit, reuoco tibi in mentem, summorum principum erga res peregrinas et ex terris remotis asportatas affectum atque propensionem. Cui heic sanguinis propinquitas accedit, qua GVSTAVVS ADOLPHVS, Comitibus Palatinis ad Rhenum, Ducatus Bergensis vrbisque Solingen dominis coniungebatur, quae tam potens et efficax in principum animis esse solet, vt cognatorum interdum munuscula rebus domi natis, licet longe opimioribus, facile praeferant. Neque a rerum gestarum serie aberrabis, si dixeris, regi Sueciae, post primam victoriam Lipsiensem ad Rhenum atque Mosellam vsque cum exercitu suo excurrenti, gladium hunc ab oppido Solingen, ad gratum ac laetum animum erga hospitem inopinatum testandum, muneri fuisse oblatum. Quis vitio vertere posset Senatui Solingensi, si regi, per vrbem suam transeunti, aut in confiniis eius mouenti in signum gaudii publici gladium ibidem fabricatum ad seruandam sui memoriam dono obtulisset, rex vero magnanimus in honorem eiusdem Senatus illum statim accinxisset? Profecto nomen vrbis in gladio expressum illud verisimile reddere, verba vero WILHELMVS WIERSBERG ME FECIT etc. eo tendere videntur, ne fabricator huius gladii debito honore artisque memoria defraudaretur.

§. XXIV.

Iam peruenimus ad votum in lamina expressum, quo SOLI DEO GLORIA vindicatur. Tritum quidem ac

vulgare illud est, impedit tamen, quo minus alias literas initiales S. D. G. gladio nostro insculptas et supra iam allegatas atque ad titulum relatas pro hoc prouerbio accipere possimus.

§. XXV.

Sic ordo tangit dictum: NEC TEMERE NEC TIMIDE; id quod vna cum alio in altero latere laminae obuio: CONSTANTES FORTVNA IVVAT etc. PECHLINVS loco supra iam citato suis oculis in gladio GVSTAVI Regis obseruauit. Sed hoc in Moriniano animaduertere nobis non licuit, quare credibile est ZIEGLERVM id asserentem cum PECHLINO MORINVM confudisse. At vero forte te dubium vexat, quod PECHLINVS confitetur, se praeter commemorata prouerbia *nihil amplius* in gladio regis caelatum animaduertisse, cum tamen nostrum exemplar plura tam prouerbia quam alia signa mox recitanda ostentet. At cuius memoria tam felix est atque tenax, vt tot lemmata atque signa in animo fixa teneat atque conseruet? Forte etiam PECHLINO tantum temporis sparium ad contemplandum gladium regis indultum non fuit, vt omnia exacte perueſtigare potuerit, quare ea tantum arripuit, quae primo intuitu oculis suis se obtulerunt. Quomodo vero haec siue festinatio siue incuria reliquis eius narrationibus fidem detrahere possit, non intelligo.

§. XXVI.

Iam videbimus autem, quaenam ista sint, quae praeter commemorata duo dicteria in gladio nostro leguntur. In primario latere deprehendimus tritum illud: INTER ARMA SILENT LEGES, quod gladiariis nostra adhuc aetate tam familiare est, vt multis laminis, ea forte intentione, insculpere soleant, quo summos principes aut de bellis euitandis aut ita gerendis admoneant, ne omnia societatis humanae vincula disrumpantur legesque rationis, belligerantibus quoque praescriptae, proterue pedibus conculcentur aut omnis exuatur humanitas.

§. XXVII.

In secundario laminae nostrae latere primum a capula mucronem versus oculis nostris sese offert: VIRTVS FVNERI SVPERSTES, nobile incitamentum fortitudinis. Transuersim apparet: PRO CHRISTO ET PATRIA, quod cum bello a GVSTAVO ADOLPHO pro religione Euangelica ac libertate Germanorum susceptо optime conuenit, simul atque opinionem firmat, gladium nostrum post aduentum regis in Germaniam bellumque coeptum ab opifice Germano, patriam suam regi commendaturo, fabricatum esse, id quod rex aegre ferre non poterat. Quamuis enim Germania ipsi, proprie loquendo, patria non erat, facile tamen ante expeditionem susceptam praeuidere poterat, Wallensteinio victricibus armis iam in mare Balticum do-

minante ac septentrionalibus regionibus iugum minitante, Germania ab Austriacis penitus suppressa, Sueuiae suae quaeuis mala, cum beneficio ordinis, imminere, nisi tempestiue obuiam eatur. Vltimum lemma est: CONSTANTER ET SINCERE etc. quod iterum pro stimulo ad fortitudinem potest acceptari.

§. XXVIII.

Sequuntur iam imagines aliaque signa in lamina nostra obuia, vbi in latere primario primum sese offert *aquila expansa*, qualem inter insignia prouinciarum Suecicarum non deprehendimus, si ab armis regni Wermlandiae, quod regibus Sueciae notorie paret, discesseris. Ita enim SPENERVS in *Opere Heraldico Parte Spec. L. II. Cap. XCV. §. 16.*

Wermlandia, olim regnum, aquila vtitur expansa.

§. XXIX.

Sed quid sibi hic vult Wermlandia? Recte obiicis, fabroque exprobras, cur non potius tres coronas, proprium atque praecipuum regni Sueciae insigne, huic secundariae prouinciae Sueciae praetulerit? Cur ordinem turbarit, Wermlandiamque, quae titulo regni iamdudum deposito, in recensione prouinciarum Suecicarum Gothiae longo interuallo cedit, huic praeposuerit? At salua res, opificisque ingeniosa excogitatio laudanda potius quam redarguenda est. Quid enim habes, quod cum

ratione

ratione regerere potes? si dicam, opificem nostrum cum aquila expansa ad insignia Imperii Romano-Germanici allusisse. Sunt illa quidem aquila biceps, sed quis ignorat, aquilam simplicem expansam regi Romanorum, Imperatoris successori, proprium haberi! Quis consiliorum post primam victoriam Lipsiensem a politicis de imperio Germanico in partes dissecando, regeque Sueciae ab Euangelicis, secessu a Catholicis facto, in regem suum accipiendo agitatorum, non recordatur? Numne ipse rex homagio non pro se solum, sed et pro corona Sueciae a Senatu ac ciuibus Augustanis, teste PVFENDORFFIO *Lib. IV. §. 15.* multa cum attentione Caesaris et Imperii exacto, nouisque vexillis suis, Augustae Vindelicorum fabricatis, eorumque titulis seu inscriptionibus euidenter satis prodidit, ipsi talia molimina nec inconsulta nec impossibilia videri? Eodem fine omni dubitatione tendit, quando PVFENDORFFIVS, deputatos Saxonicos supra a nobis sub num. 3. excitatos in eo consentientes habens, quod vexillum ante proelium Luzenense in velitationibus apud Rippach Caesareanis ereptum, aquila Romana ac imagine fortunae fuerit insignitum, tanquam singulare omen atque augurium annotat. Quis igitur vitio verteret fabro, si haec consilia in vsus suos conuerterit, regique insigni imperii Romani tecte adulari voluerit? Profecto incidunt haec in illud tempus, quo rex, exercitu Caesareo apud Lipsiam prostrato, ac insigni victoria parta, ad Rhenum vsque excurreret, omnemque fere Germaniam victricibus suis armis peruagaretur,

garetur, vbi facile fieri poterat, vt faber regi per Solingam transeunti, aut in confiniis huius vrbis commoranti gladium ad praesens tempus festinanter accommodatum obtulerit, eoque gratiam ipsius sibi conciliare posse crediderit. Meo quidem iudicio non imprudenter egisset, si talem occasionem, a fortuna ipsi datam, arripuisset, ac assentatiuncula tali regis gratiam aucupari aut eius consiliis velificari fuisset conatus.

§. XXX.

Restant adhuc signa quaedam, in ense nostro conspicua, vti est *anguis in cruce* erectus, notissimus ille Mosis in deserto typus, quo hic Saluatoris nostri mortis genus augurabatur. Deinde *sagittae decussatim positae*, militaria olim arma ac instrumenta, ad bellum sese manifeste satis referunt, vt aliam interpretationem quaerere superuacaneum sit.

§. XXXI.

Et hi sunt characteres, in gladio nostro obuii, qui aliquem significatum habent, reliquae enim lineae manifeste sunt decorationes et ornamenta, omni significatu destituta, vt bardus merito habeatur, qui sensum aliquem in iis quaerere velit aut latere contendat.

§. XXXII.

Habes igitur rationes, quae nos conuincunt, gladium nostrum esse genuinum ac illum ipsum, quo cum

rex

rex GVSTAVVS ADOLPHVS in proelio Luzenensi cecidit. Ne vero solis argumentis pugnare aut coniecturis in eo nimium indulgere videamur, edamus titulum, quo ensis hic in manus nostras peruenit. Scilicet satis celebris erat superiori seculo mercator Noribergensis IOHANNES ANDREAS VIATIS, cuius tanta erat curiositas, vt arma magnorum Regum ac Principum aliaque rebus gestis nobilitata vndiquaque sollicite conquireret, nullo pretio parcens, si modo suo in eo affectui satisfacere votique compos fieri posset.

Hic tempora belli tricennalis attigit, eaque aetate armamentarium suum instruxit. Huius in rebus curiosis colligendis insatietas famosissima erat, quo fiebat, vt venditores harum rerum vndiquaque ad eum confluerent, tantusque numerus gladiorum a regibus belli facinoribus claris vsurpatorum in armamentario suo sese cumularet, vt non nisi cum veneratione et admiratione adspici potuerint ac perlustrari. Quos inter gladium quoque nostrum nomine GVSTAVI ADOLPHI regis Sueciae fuisse, Catalogus armamentarii huius superioris Seculo ab haeredibus ipsius editus comprobat. Titulus est:

Kurze Beschreibung der Armatur-Cammer und Kunst-Cabinet des seel. verstorbenen Herrn Johann Andreas Viatis in Nürnberg.

Vbi statim prima pagina haec habentur:

Des Königs in Schweden, GVSTAVI ADOLPHI, *authentischer* Degen am Gefäß mit Silber eingelegt, dessen er Sich bey der letzten Schlacht vor Lützen bedienet.

Atqui ex hoc armamentario B. RINCKIVM gladium hunc suo aere sibi comparasse, litteris docere possumus, suntque adhuc viri integrae fidei in viuis, qui, de eo quaesiti, idem lubenter attestabuntur.

§. XXXIII.

Nitimur itaque bona fide VIATIS senioris, cuius tanta erat sinceritas ac bona fama, vt in eum nulla suspicio siue iactantiae siue fraudulentiae cadat. Haec bona fides firmata iam est traditione a maioribus accepta ac per integrum et quod excurrit seculum in posteros deriuata, cui contradicere religioni merito ducimus, eamque non nisi rationibus inuictis oppugnare permissum arbitramur.

§. XXXIV.

Sic liberauimus fidem nostram ab omni obiectione lusus ingenii, aut persuasionis decipulae. Iam ad notitiam Reuerendissimi Domini WALLINI peruenire potest, vbi lateat custodiaturque gladius ille, quem PECHLINVS


CONSTANTER
ET·SINCERE?
INTER·ARMA·
SILENT·LEGES



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-218454-p0048-3



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-218454-p0049-3



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-218454-p0050-4

NVS vidit, ac Dominus WALLINVS hactenus nulla arte expiscari potuit. Iam penes Lectorem sit arbitrium, cuius partibus se addicere, an in Domini WALLINI castris remanere, an in mea transire malit.

§. XXXV.

Nolit tamen in malam partem interpretari, quod his minutiis tempus teram, rebus forte vtilioribus impendendum. Sed dandum aliquid est genio meo, qui laboribus fessus eiusmodi lucubratiunculis delectatur, inque iis voluendis reuoluendisque non animi recreationem solum, sed et virium nimio interdum labore attritarum refectionem quaerit ac reparationem.

QK Ic 4732

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-218454-p0054-7

Pon Vc 4732, Qk

ULB Halle 3
004 170 822

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-218454-p0055-2

ADAMVS FRIDERICVS GLAFEY

DISSERIT

DE

GLADIO

QVO CVM

GVSTAVVS ADOLPHVS

REX SVECIAE

IN PROELIO LVZENENSI

OCCVBVIT.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

1749.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-218454-p0057-3